



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

IV. Munere alterius interueniente committitur simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI
1179. ecclesiis Anglicanis electi, in nostra præsentia & fratrum
quæstio mota fuisset, & singulis vestrum quædam obiice-
rentur, tibi obiectum est, quod in oculo maculam ha-
beas, & quod canonici filius sis: attendantes prudentiam
& honestatem tuam, & volentes te nomine gratiæ ac di-
lectionis prærogatiua gaudere, venerabili fratri nostro
Cantuariensi archiepiscopo apostolicae sedis legato dedi-
mus in mandatis, ut pro eo quod canonici filius diceris fuif-
se, in promotione tua ex multa dispensatione procedere
non postponat; de macula vero quam in oculo habere di-
ceris, hoc prædicto archiepiscopo mandauiimus, vt * in
^{* secun-}
^{dū quod} quo suffraganeorum suorum, & præsertim venerabilium
nostrorum fratrum * Exoniensis & V Vigorniensis episco-
porum examini visum fuerit, sic exequatur. Tu vero eum-
dem archiepiscopum super his inquirere studeas humi-
liter ac deuote, quia nos tibi ex magna dispensatione in
hac parte curauimus solicite prouidere, ut personam tuam
fincera caritate diligimus, & quantum secundum Deum
possumus, libenter ad tuum intendimus commodum &
honorem.

CAP. IV.

Item Lucius tertius Turonensi archiepiscopo.

^{* secreta} Presbyter cardinalis * sua nobis insinuatione monstra-
uit, quod cum fuisses ad ecclesiæ tuæ regimen de voluntate
maioris & senioris partis fratrum electus, quia paucis
contradicentibus non valebas debita pace gaudere: qui-
dam amicus de conscientia tua & voluntate, perturbata
tamen, ei qui magister discordiæ videbatur, certæ quanti-
tatis munus exsoluit: & sic, quam prius sustinebas, contra-
dictio quieuit. Nunc autem dubitas, quod non sis simonia
prorsus immunis, donec in administratione volueris re-
manere. Quia igitur per iam dictum cardinalem apostoli-
caæ sedis consilium quæsiuisti, præsentium tibi significatio-
ne monstramus, quod multum tibi consulis, si administra-
tionem prædictam celeriter & sponte dimittis, euangelici
verbi memor existens: *Nil prodest homini si uniuersum mun-
dum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.*

Matth. 16.
Marc. 8.